



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Prophetia Apocalyptic S. Joannis Apostoli**

**Kircher, Heinrich**

**Coloniæ Agrippinæ, 1676**

§. III. Epistola sexta.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39100**

, te ostium apertum, quod nemo potest claudere: quia modicam habes virtutem, & servasti verbum meum, & non negasti nomen meum.  
(v.9.) Ecce dabo de synagoga satana, qui dicunt se Iudeos esse, & non sunt, sed mentiuntur: Ecce faciam illos ut veniant, & adorent ante pedes tuos: & sciret quia ego dilexi te. (v.10.) quoniam servasti verbum patientiae meae, & ego servabo te ab horatentationis, quæ ventura est in orbem universum tentare habitantes in terra. (v.11.) Ecce venio citote, tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. (v.12.) Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius: & scribam super eum nomen Dei mei, & nomen civitatis Dei, mei novæ Ierusalem, quæ descendit de cœlo à Deo meo, & nomen meum novum. (v.13.) Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiæ.

## §. III.

## Epistola sexta.

Para-  
phrasis  
Epistolæ  
sextæ.  
Pars pri-  
ma.

1. **A**D Episcopum sexti generis:  
**E**xordium. HÆC DICIT SANCTUS ET VERUS, QUI HABET CLAVEM DAVID; QUI APERIT, ET NEMO CLAUDIT; CLAUDIT, ET NEMO APERIT. quasi dicat: Ego ille per essentiam Sanctus & Verus: à quo omnis est conversio ad sanctitatem & veritatem: cuius est clavis scientiæ atque introitus ad Ecclesiam quæ est dominus David, de qua & de clave ejus *Isaias cap.22.v.22. dabo*, inquit, clavem domini David super humerum ejus; & aperiet, & non erit qui claudat; & claudet, & non erit qui aperiat.

Pars se-  
cunda.

2. **N**arratio. SCIO OPERA TUA, scientiæ non qualicunque sed approbationis. ECCE aditum DEDI CORAM TE APERTUM (O-

STIUM ad aggregandos multos per Evangelium in Ecclesiam; Act.14. v. 26. 1. Cor. 16. v.9. & 2. Cor. 2. v. 12.) quem NEMO tibi poterit precludere. quia non confidis in tua potentia, qui MODICAS HABES vires (græcè δύναμις,) sed in providentia mea, cuius SERVASTI VERBUM ET NOMEN confessus es viriliter. Maecte tuâ illâ fiduciâ: nam ecce cum auxilio meo convertes obstinatissimos quoq; qui circum te sunt: falsi enim sunt Iudei hoc est falsi Confessores & ex SYNAGOGA SATANÆ. agendum, hosti per trahe ad Ecclesiam: hæc siquidem veris constat Judæis in abscondito & in spiritu non litera, Rom. 2. v. 29. FACTAM UT ANTE PEDES TUOS accident supplices precabundi Baptisma; quo initiati ADO-

E

RENT

RENT me non sine præconio tui quod  
DILEXERIM TE. Præterea QUO-  
NIAM SERVASTI VERBUM  
PATIENTIÆ MEÆ in modico  
(numerus quippe gregis tui & poten-  
tiae præ cæteris Aſta Ecclesiæ est exi-  
guus,) ego SERVABO TE vicissim  
in magno, ut non prævaleat tibi deſe-  
ctio aliorum & HORA TENTA-  
TIONIS super-VENTURA ha-  
bitatoribus universi orbis. Veruntamen  
tu quoque id QUOD HABES TE-  
NE usque ad meum adventum: ut  
CORONAM etiam TUAM NE-  
MO alias præripiat.

3. Epilogus. Cautioni annexitur Parster-  
promissio. QUI VICERIT profili-  
gando errores, servaverit ipse verbum  
& adduxerit multos per ostium Eccle-  
siæ ad veritatem, FACIAM ILLUM  
COLUMNAM IN TEMPLO æ-  
terno immobilem è loco Beatitudinis,  
& celebrem: cui INSCRIBAM hos  
titulos ipsimet gloriosos; consors no-  
minis DEI; civis NOVÆ JERUSA-  
LEM, ejus QUÆ origine suæ ædifi-  
cationis DESCENDIT DE COE-  
LO A DEO MEO; imitator &  
hæres nominis mei novi, quod est JESU  
Sancti & Veri Salvatoris animatum.

Benè huic Episcopo Sancto & Vero, qui plenus fiduciâ & zelo animarum servat  
verbum ac propagat: servabit illum Deus suus, & aperiet ei ostium conver-  
fionis multorum: eritque inter columnas Ecclesiæ nominatissimas. ita tamen  
si etiam ipse teneat conſtanter quod habet, ut nemo accipiat coronam ejus.

## TRACTATUS VI.

IN EPISTOLAM VII. ET IN COLLECTANEA HO-  
RUM DUORUM CAPITUM.

### VERBA APOCALYPSEOS.

(Versu 14.) Et Angelo LAODICIAE Ecclesiæ scribe: Hac dicit:  
, Amen, testis fidelis, & verus, qui est principium creaturæ Dei. (v. 15.)  
, Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus: utinam frigidus  
, effes, aut calidus: (v. 16.) sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus,  
, incipiam te evomere ex ore meo. (v. 17.) quia dicis: Quod dives sum,  
, & locupletatus, & nullius ego: & nescis quia tu es miser, & miserabilis,  
, & pauper, & cæcus, & nudus. (v. 18.) Suadeo tibi emere à me aurum  
, ignitum probatum, ut locuples sis, & vestimentis albis, induaris, &  
, non appareat confusio nuditatis tuae, & collyrio inunge oculos tuos, ut vi-  
, deas.